THESES THEOLOGICÆ
DE
LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

DE QVIBVS, VOLENTE DOMINO,

Præside

CLARISS. VIRO FRANC. IVNIO
S. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSORE
in celeberrima Heidelbergensium
Academia

Respondebit

NATHANAEL RYCKEVVAERT,
Yprensis, Belga.

Ad diem xx Maij, loco & hora
consuetis.

HEIDELBERGÆ

M D XCII.

Virtute atq; eruditione præstanti viro D. Casparo Brusculo, amico & commensali suo lepidissimo offert Respondens.

REuerendo viro, ac Theologo eximio, D. Lucæ Trelcatio, ſacrarum literarum in inclyta Leidenſium Academia profeſſori ordinario, & Eccleſiæ Gallicæ ibidem paſtori vigilantiſsimo, præceptori ſuo ſummè colendo, has de Libero hominis arbitrio Theſes, obſeruantiæ gratitudiniſque ergò, dedicat conſecratque

Reſpondens.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

Theſis I.

LIberum arbitrium eſt naturalis potentia ſuo ac proprio motu ſine coactione eligendi vel repudiandi bonum aut malum, quod voluntati a mente eligendum vel repudiandum proponitur.

II.

Ac arbitrium quidem appellatur reſpectu mentis, quæ obiectum voluntati monſtrat, ipſumq; vel probat vel improbat: liberum verò reſpectu voluntatis, quæ ſponte ſua id quod obiectum fuerit amplectitur eligens, aut repudians fugit.

III.

Subiectum itaq; liberi arbitrij eſt ſubſtantia creata intelligens vel ratione prædita: in qua intelligentia & voluntas partes eſſentiales ſunt analogicè, libertas verò his partibus ineſſe dicitur, vt ſubiecto accidens ſeparabile.

IIII.

Obiectum verò liberi arbitrij, quod hîc quidem agitur, eſt morale bonum & malum, quò liberè fertur creaturæ arbitrium, aut quod auerſatur liberè: nam de libero arbitrio in cauſa naturalis boni quæſtio magis Philoſophica eſt quàm Theologica.

V.

Quapropter liberum arbitrium quoties de Deo prædicatur, aut vniuoce prædicatur, quia quicquid

est in Deo, Deus est; nihil accidentale, sed essentialia omnia, & essentia ἀντιστρόφως essentialiter; aut prædicatur figuratè; aut falsò; si quidem propriè secundùm positam definitionem liberum arbitrium placebit accipi.

VI.

Atque hoc quidem prædicari figuratè & Deo tribui, non iniquè ferimus, modò accipiatur bene; & a logomachiis vltrò abstinemus.

VII.

Propriè verò dici, nisi falsò, non potest: quia id nec cum natura subiecti, id est Dei, nec cum veritate definitionis, nec cum ratione obiecti conuenit sine subiecti interitu.

VIII.

Natura Dei: nam est simplicissimus, non ergo compositus, ne ex subiecto quidem & accidente, quod hîc statuitur.

IX.

Definitione: nam nec; genus liberi arbitrij Deo potest competere, qui actus est simplicissimus, nec; differentia importans ἀλλοίωσιν, cum Deus sit æternus & immutabilis.

X.

Obiecto: quia Deus est ipsa bonitas, nec pro obiecto habere vnquam potest morale bonum quod improbet, aut malum quod eligat: Deus seipsum negare non potest. 2 Timoth. 2.

XI.

Creatura ergo intelligens & liberi arbitrij capax subiectum, est duplex, Angeli, & homines. Nos autem in

in præsentia de libero hominis tantùm arbitrio agere instituimus.

XII.

Liberum ergo arbitrium in homine consideratur dupliciter: ante lapsum, & post lapsum illius.

XIII.

Ante lapsum liberum arbitrium fuit in homine ad bonum & ad malum: quo arbitrio homo vel stare poterat atq; in integritate & vita permanere, vel labi & peccando integritatem & vitam amittere.

XIIII.

Demonstrabant id symbola quæ homini in Hedene circumposuerat Deus: arbor vitæ perstanti in sua integritate vitam, & arbor scientiæ boni & mali labenti ac deficienti mortalem miseramq; conditionem significans.

XV.

Quanquam enim homo primum ita fuit conditus, vt mens & voluntas eius cum voluntate Dei planè consenserint, illiusq; imperio sine vlla affectuum cum mente lucta & repugnantia omnino subiicerentur: tamen fuit mutabilis, ita vt errare in iudicando, & obiecta specie alicuius boni inclinare ad deficiendum, atq; adeo deficere sua sponte posset.

XVI.

Est enim liberum arbitrium potentia naturalis, cuius operatio potuit esse actu secundum finem ordinatum & determinatum ipsius, & potuit non esse deficiendo a fine ordinato suo, & (quod grauius est) in impotentiam abeundo.

XVII.

Quod & factum est: lapsus enim est homo obiecta per Satanam specie boni: quod obiectum vt mens probauit, ita voluntas ad illud amplectendum sese inclinauit a fine ordinato & imperato sibi deficiens.

XVIII.

Etsi autem libero arbitrio suo lapsus est, id tamen præter Dei voluntatem non fuit factum: cui hoc medio iustitiam & misericordiam suam visum est declarare.

XIX.

Nam siue arcanum diuinæ voluntatis spectes, Deus noster in cælis est, qui facit quicquid vult: non fecit autem vt homo non peccaret: facere igitur hoc noluit: siue reuelationem illius, certè legem & conditionem Deus posuerat, Ne comedas; Si comederis, morieris: quam conditionem non fuisset adiecturus, si voluntate absoluta secus voluisset.

XX.

Post lapsum verò liberi in homine arbitrii duplex est consideratio: vna, prout est in hac vita: altera, vt in futura erit.

XXI.

Rursum in hac vita liberum arbitrium pro ratione subiecti bifariam consideratur: vt est in regeneratis hominibus, & in iis qui non sunt regenerati a Domino.

XXII.

In hominibus non regeneratis liberum arbitrium (si ita dicendum est) ad malum est tantùm: hoc est, ea libertas in homine demum relicta est, quæ nil nisi malum, idque malè, aut velit, aut velle possit.

XXIII.

XXIII.

Per lapsum enim primorum parentum amissa est illa integra Dei cognitio quæ erat in mente, atque in eius locum successit ignorantia & dubitatio: in voluntate verò & corde dilectio & timor Domini desiuerunt, successitq; in locum eius odiosus contemptus & contumacia aduersus Deum, & praua inclinatio ad malum, meraque ad bonum impotentia.

XXIIII.

Verumtamen si magis propriè de isto hominum genere loquendum est, non est homini ψυχικῷ ac non regenerato liberum arbitrium, quia nec arbitrium habet, nec liber est ad obiectum illius, cuius respectu arbitrium liberum appellatur.

XXV.

Non habet arbitrium: Nam cùm obiectum sit duplex per disiunctionem oppositum, aut bonum puta aut malum; omnino arbitrium in voluntate spectari necesse est, non qua voluntas naturalis, sed qua electiua est, vtrumuis obiectum eligere potens.

XXVI.

Homo autem ψυχικὸς non capit quæ sunt Dei: & in ipso, id est in carne eius, non habitat quicquam boni: ac proinde nec intelligentia boni, nec voluntas ad bonũ, nec electio boni arbitriumue ad ipsum pertinet.

XXVII.

Non est liber ad duplicis obiecti velle: nam etsi voluntate naturali liber est in sese, (malus autem est, & in malo positus) electiua tamen voluntate non est liber, cùm electionem non habeat boni, velut absentis ab eo, & ignoti, & exosi, & im-

& impossibilis; sed actu ipso est, ac non potentia aut electione malus.

XXVIII.

Quamuis igitur neq; intellectu plane destituatur homo, nec voluntate, quia tamen depravata mente iudicioq; voluntas nihil boni eligere & amplecti potest: sequitur in homine non regenerato proprie non esse liberum arbitrium, sed seruum peccati: aut si datur liberum arbitrium in eo esse κατα ενεργειαν, liberum arbitrium esse ad malum tantum in rebus spiritualibus seu diuinis, etiamque in externis atq; ciuilibus.

XXIX.

In spiritualibus quidem & diuinis, quia purus putus homo non tantum Deum nec agnoscit vere, nec amat, nec voluntati eius, qua debet, obedientia obtemperat; sed ne motus quidem bonos ad hoc iudicio mentis suæ & voluntatis electione potest inchoare.

XXX.

In ciuilibus autem & externis, ad malum tantum liber est, quia vtvt hic paulo plus cernat secundum communes notiones insitas in natura, tamen nec ex fide facit, nec ad verum finem contendit boni: quicquid autem fit sine fide, peccatum est.

XXXI.

Nam id demum vere bonum est cuius laus est ex Deo, nempe a radice bona bonis medijs ad bonum finem assurgens: ficuius autem boni laus est ex hominibus solum, id in rebus humanis bonum dicitur

æqui-

equinocè propter ſpeciem & opinionem boni, quamuis non ſit re & veritate bonum.

XXXII.

Hominis regenerati liberum arbitrium eſt partim ad bonum, partimq; ad malum.

XXXIII.

Ad bonum, quà regeneratus & liberatus a dominio peccati: quia quum nos Spiritus ſanctus regenerat, accendit ſimul in mente noſtra nouam lucem intelligentiæ & cognitionis; in voluntate verò excitat nouos motus & inclinationes cum lege diuina congruentes, quibus iam cooperari Deo incipimus.

XXXIIII.

Ad malum autem, quà adhuc agitur peccato in ipſo habitante: quia regeneratio noſtra in hac vita inchoatur ſolùm, & in nobis reliquiæ corruptionis habitantes remanent, quibuſcum per omnem hanc vitam pugnandum nobis eſt.

XXXV.

Ex quo illud conſequitur, neminem omnino hominem legem Dei in hoc ſeculo implere poſſe, vbi caro aduerſus Spiritum pugnat, & Spiritus aduerſus carnem.

XXXVI.

Liberum arbitrium in altera vita ſi erit, aut eorum qui ſalutem fuerint aſſequuti, aut damnatorum dicendum eſt.

XXXVII.

Eorum qui ſalutem aſſequuti fuerint, liberum arbitrium (ſi ita dicendum eſt) erit ad bonum tantùm, idque immutabiliter, adeò vt nec errare in judicando, nec velle quicquam niſi bonum & benè poſſint.

XXXVIII.

Erit enim tunc perfecta regeneratio noſtra, ac non inchoata ſolùm, vt nunc eſt, quando videbimus Deum ſicut eſt, cognoſcemus prout cogniti fuerimus ab ipſo, & volemus in cælo voluntatem Dei, ſimiles effecti Angelis ipſius: quia Deus ibi nunquam deſeret nos, ſed in omnibus omnia futurus eſt.

XXXIX.

Damnatorum verò liberum arbitrium (vt ita dicamus) erit ad malum tantum in omnem æternitatem: quia Spiritu ſancto deſtituti, & exſortes Dei omniſq; boni a Deo procedentis, de bono deſperantes, omni malo ſeruient, maligno obſequentur, & flentes ſtridenteſq; dentibus ruent aduerſus Deum tota mente & voluntate ſua.

XL.

Quapropter neq; horum neq; illorum in futuro ſeculo arbitrium liberum aut voluntas libere electiua propriè dici poteſt: cùm neque electionem habeant ſed actum voluntatis immutabilem potentiaq; aduerſantem, neque liberi ſint diſiunctiuè ad vtrumuis obiectum liberi arbitrij, ſed in ſe libera voluntate

hi

li ad malum actum, illi ad bonum ferantur solùm: hi vitiositate naturæ per electionem suam adscita, illi virtute gratiæ per electionem Dei: hi subsistentes in se immutabiliter mali, nos subsistentes in Deo immutabiliter boni. Gratia autem sit Deo super inenarrabili munere ipsius. Amen.

FINIS.